

potissimum sita est, ut nullius hæresis maculis, nulla schismaticorum colluvione fœdetur, et ea causa fuit, cur Italica lingua, non Latina scriberes (nisi forte, quod facile suspicari possumus, Latinas litteras ignorabas) ut eorum Itálorum, qui Latinae linguae expertes sunt, piam fidem corrumpere.

Videbat nimirum Satanas innumerabiles in Italia homines esse de numero eorum, quos (ut sanctus Augustinus loquitur in lib. contra epist. fundamenti cap. 4). credendi simplicitas tutissimos facit. Intelligebat singulari Dei providentia fieri, ut Romana fides Apostolico ore laudata in Italia populis incorrupta, et inviolata permaneat. Non ignorabat eam adhuc esse per Italiam universam Sedis Apostolicæ reverentiam, quæ in toto orbe Christiano esse deberet, et aliquando fuit, vere enim S. Prosper in lib. de Ingratis scripsit :

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet.

S. Leo serm. 4. de Natali Apostolorum :
« Per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsidet religione divina, quam dominatione terrena ». Angebatur hostis humani generis, quod impia defectio a matre Ecclesiarum, atque ab ipso communis Patre omnium Christianorum, tamquam a Babylone et Antichristo, apud multos septentrionales populos tam facile propagata, in Italia provinciis locum nullum haberet.

Itaque nactus tandem aptum ad suas fraudes instrumentum, perditum nescio quem juvenem excitavit, qui vulgari idiomate, dulci oratione, et suavibus canticis, læthale venenum vulgi auribus instillaret. Sed Deo bene juvante *mentietur iniquitas sibi*, nec solum Pastorum vigilantia diligentissime providebit, ne ejusmodi libelli ad Itálorum manus aliquando perveniant : sed neque ullus nostrum Italicis verbis istiusmodi libros refutabit, ne vel ex ipsa nostra responsione cognoscant populi horribiles illas blasphemias, quas ne fando quidem unquam audiverunt.

Et quemadmodum adversarius Rapsacem illum Assyrium imitatur, de quo in lib. IV Regum cap. xv. dum lingua populari blasphemias in Christi Vicarium evomit : ita nos Eliachim prudentiam imitabimur, dum

(1) Joan. III, 20.

respondendo cavebimus, ne populorum aures inauditis illis blasphemias polluantur, ne quo modo corrumpantur sensus eorum, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.

« Da un nobile giovane Francese ». Gallus ne fuerit, an Gallum simulaverit, qui hæc scripsit non magni refert juvenem certe fuisse facile credi potest, satis enim procacitas, petulantia, levitas, imperitia, quæ in toto libro cernuntur, auctoris sui juvenile ingenium produunt. At nobilem eundem fuisse, vel esse, ego quidem ægre adduci possum, ut credam, nisi forte nobilem scurram, non virum nobilem, libri titulus indicet : certe obscœna vocabula, convicia, et contumeliæ, quibus undique liber scatet, agasonem potius, aurigam, vel nautam, quam virum nobili loco natum decebant.

Et cur quæso nobilis iste juvenis nomen suum non prodidit ? Cur latet in tenebris, qui tam ferociter summo Christianorum Præsuli minas intentat ? Cur novus iste Goliath qui tam confidenter exercitui Dei ventis exprobrat et tamquam alter Semei, Christo Domini maledicit, ita obscurus latitat, ut ne de nomine quidem velit agnosci ? Sed veram esse oportet sententiam veritatis Joan. III. *Qui male agit, odit lucem* (1).

CAPUT III.

Venio nunc ad eam declamationem, qua libelli auctor in Christi Vicarium impie debacchatur. Primis quatuor pagellis verbosissima oratione Pontificem Romanum antichristum esse affirmat ac repetit millies, idque jam perspectum ac notum esse omnibus contendit, exceptis paucis quibusdam excaecatis Italis, atque Hispanis. Quare si quis totidem verbis, multaque sententiarum congerie, et varietate Calvinum, aut Lutherum, aut verius utrumque vel Antichristum ipsum vel ejus præcursores esse dicat, repetat, inculcet, par pari sine dubio referret, et stulto secundum ejus stultitiam responderet. Sed non est hominum doctorum, ac potissimum Catholicorum verbis contendere, inanis ista garrulitas hæreticorum propria est, qui cum rebus non possint, verborum certe profusione coram imperitis malam causam suam utcumque sustentant. Multa de Antichristo scribit Daniel, multa post eum Paulus, multa Joannes, sed illa præter cæ-

teras insignis est Antichristi nota, Deos omnes contemnere, ut ipse unus habeatur Deus. *Et elevabitur, inquit Daniel cap. xi. et magnificabitur adversus omnem Deum, et adversus Deum Deorum loquetur magnifica*. Et Apostolus II Thessalon II. *Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus*. Huc etiam pertinet, quod Christus ipse Judæis prædixit. Joan. v. cum ait : *Ego veni in nomine patris mei, et non recepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis* (1). Antichristus enim in nomine suo veniet, quia nullum supra se Deum agnoscat. Jam vero Pontifex Maximus prædecessorum suorum imitatus exempla, noane et in litteris servum servorum Dei se palam appellat ? et ad sanctum altare uni vero Deo populo inspectante sacrificium offert ? et summum honoris titulum esse censet, si Christi Vicarius nominetur ? et denique Christum publice, et privatim colit, et ut ab omnibus agnoscat, et adoretur, satagit ? Qui vero servum, sacerdotem, vicarium, cultorem Christi, et verbis et factis se profitetur, certe non elevatur supra omnem Deum, juxta vaticinium Danielis, neque juxta Paulum se ipse extollit supra omne quod dicitur Deus, neque a seipso venit, juxta verbum Domini apud Joannem, sed ab illo qui Petrum, ejus se successorem Pontifex Romanus vere nominat, ad gregem suum cum potestate misit, cum ait Joan. XXI. *Pasce oves meas* (2). Quæ cum ita sint, nihil verius, nihil apertius, nihil certius dici potest, quam nihil esse Romano Pontifici cum Antichristo commune, nisi forte quæ sint Antichristi notæ ex hæreticorum mendaciis, non ex divinis oraculis discere libeat. Quid, quod tanta est hæreticorum hujus temporis inconstantia, ut quem Antichristum esse volunt, iidem ipsi Antichristum non esse doceant ? nihil enim sæpius, neque majori contentione Romanis Pontificibus, quam idololatriam objiciunt, siquidem et sanctorum invocationem, et reliquiarum atque imaginum cultum, et ipsum Missæ sacrificium idololatriam esse clamitant. At si tot Deos a Romanis Pontificibus coli existimatis, quot sunt beati spiritus in celo ; unde tandem vobis in mentem venit, ut eosdem Pontifices antichristos fa-

ceretis ? an verò Daniel, et Paulus illum Antichristum fore prædixerunt, qui Deorum multitudinem sese prosterneret, et non eum potius, qui se supra omne numen elevaret ? An non sentitis, quam parum coherentia cum divinis litteris, et quam ipsa secum aperte pugnantia sint, quæ dicitis ? Quale autem mendacium est, in sola Italia, atque Hispania Romanum Pontificem non ut Antichristum repudiari, sed pro vero Christi Vicario agnosci, et coli ? Quid ? in ipsa Germania, nonne imperator, ejusque fratres, et archiepiscopi electores, dux Bavarie potentissimus, alique plurimi tum ecclesiastici tum politici principes vivunt, qui una cum populis, quibus imperant, Romano Pontifici, ut Christi Vicario parent ? In Polonia nonne reges semper catholici cum Episcopis item catholicis, et magna nobilium, ac plebeiorum multitudine Romanam fidem professi sunt, et adhuc hodie profitentur ? Suecia, Hungaria, Scotia nonne suos habent catholicos ? In Anglia vero nonne Catholicorum pro Romana fide pugnantium pleni sunt carceres (3). Nonne quotidie gloriosa martyria exhibentur ? Nonne libris in ipsa Anglia editis Catholicis Lutheranos, et Calvinianos exagitant ? Quid de Gallia dicam ? Rex ipse Christianissimus totius regni caput, Romanum Pontificem splendidissima legatione non honoravit ? non eum Christi loco in terris esse agnovit ? non obedientiam illi suo nomine præstari jussit ? Episcopi totius Gallie nonne Catholici sunt, et summum Pontificem debito cum honore suscipiunt ? Quis vero principes, quis populos numeret, qui pro Romana fide vitam ipsam, et sanguinem profundere tota Gallia parati sunt ? Quid igitur sibi volebat ille mendaciorum architectus, cum paucos dumtaxat cæcos, eosque in sola Italia, et Hispania esse pronunciabat, qui Romanum Pontificem Antichristum esse non crederent ? et tamen Europam nondum sumus egressi : nam si lustrare Asiam, et Africam, et novi orbis vastissimas regiones animo velimus, inveniemus profecto in America, in Brasilia, in exteriori Africa, in Arabia, in sinu Persico, in India, in insulis Moluccis, in aurea Chersoneso, apud Sinas, apud Japones, ubi nondum Lutheri, et Calvinii nomen penetravit, plurimos optimosque

(1) Daniel XI, 36; II Thess. II, 3; Joan. V, 43. — (2) Joan. XXI, 17. — (3) De quo vid. *Les quatre martyrs* auctore Rio, et expressive : *La persécution religieuse en Angleterre sous Elisabeth*, auctore C. Destombes sacerdote diocesis Cameracensis.

esse Christianos, qui sub Rom. Pontificis obedientia Christum colant. Ante nonnullos annos ex ultima Japonia nobilissima legatio trium annorum itinere confecto ad Romanum Pontificem, ut verum Christi Vicarium agnoscerent, ac venerandum venit, neque multi menses præterierunt, cum ad hunc ipsum, qui nunc B. Petri sedem tenet, Clementem VIII. Pontificem litteræ a Patriarcha Alexandrino ex Ægypto missæ sunt, quibus eum is Patriarcha caput Ecclesiæ universæ Christianæ Vicarium constituitur, ut nihil hic de Armenis et Maronitis dicam, qui inter tot sectas hæreticorum, et paganorum, quæ Orientem premunt, Romanæ Ecclesiæ fidem, et obedientiam retinent; quæ cum ita sint, quanta vanitas, atque temeritas ejus hominis fuit, qui in sola Italia atque Hispania paucos quosdam invenire potuit qui sedem Apostolicam, ut æquum erat, venerarentur? Sed cætera videamus.

CAPUT IV.

Multis verbis inaniter, ut dixi, profusis, inepte philosophatur adesse jam annum a Lutheri prædicatione septuagesimum, proinde initium liberationis a tam diuturna captivitate sese aperire atque ostendere. Sed instar phrenetici nesciens omnino quid diceret, vere significavit septuagesimum annum jam agi Lutheranae captivitatis, si enim ulla captivitas Luthero exoriente exorta est, ea certe Romana esse non potuit, cum nulla mutatio in Urbe Romana per id tempus facta sit, sed eadem fides, eadem religio, eadem forma Christianæ Reipub. quæ ad eam diem fuerat, esse perseveraverit. At in Germania, Satana auctore, et administro Luthero, Christi religio in perditissimam hæresim mutata est, nec solum externus Dei cultus, et sacramenta omnia mutilata, vel sublata sunt, sed ipsum etiam hominum arbitrium, ex libero ac soluto in miseram captivitatem redactum, annos jam amplius septuaginta apud Saxoniam Babylonem servit.

CAPUT V.

Pergit deinde libelli auctor et Calvinianos hæreticos non esse ea ratione demonstrare aggreditur quia hæreticus non est, qui Evangelio credit, quique nullum articulum symboli Apostolici inficiatur. Et quoniam Apostoli in eo Symbolo Unam Ecclesiam Catho-

licam, et Apostolicam esse docuerunt, Romanæ autem mentionem nullam fecerunt, vitio vertit ipse Romanis Pontificibus, quod ad articulum de Ecclesia vocem illam, Romanam, adjecerint. Sed hac responsione indicat se nescire quidem quale sit Apostolicum symbolum, neque quid sit fides, aut hæresis unquam didicisse, neque id sane mirum, cum in amatoris canticis Petrarchæ, non in dogmatibus Christianæ religionis ætatem contriverit. Disce igitur quicumque es famosi libelli auctor, non illos tantum esse hæreticos, qui Evangelium, aut Symbolum aperte rejiciunt, sed illos etiam qui in Evangelii, et Symboli interpretatione iudicium ipsi sum Ecclesiæ iudicio præferunt; alioqui enim neque Ariani, neque Macedoniani, neque Nestoriani, neque Pelagiani, neque alii permulti hæretici erunt, quos tamen non solum Catholici, sed etiam Lutherani, et Calviniani, pro hæreticis habent. Siquidem illi omnes Evangelium, et Symbolum, quod attinet ad verba, integre recipiebant, sed perperam tamen, ut omnes hæretici faciunt, interpretabantur. Quid? nostra ætate qui in Polonia, et Ungaria duo primaria religionis Christianæ mysteria destruunt, personarum divinarum Trinitatem, et incarnationem Verbi Dei, nonne totum Evangelium, totumque Symbolum Apostolicum, præter cæteros homines tueri se, ac defendere profitentur? Ita omnino; et tamen qui sunt hoc tempore magis hæretici? Denique si Evangelio credere, et nullum articulum symboli pernegare, sufficere vobis videtur, ut quis hæreticus non esse iudicetur, cur tam audacter Pontificem Romanum, et qui illi adhærent, hæreticos pronuntiatis, quos Evangelium, et symbolum integre colere, amplecti, ac sequi non ignoratis? Quod enim Pontificem accusatis, quasi is Apostolicum symbolum depravarit adjectione vocis, Romanam, ad voces, Catholicam et Apostolicam in articulo de Ecclesia, inscitiam vestram prodit: nam neque in symbolo Apostolico fuit unquam vox, Apostolica, neque a Pontificibus addita est vox Romana, sic enim symbolum habet, « Credo in Spiritum-sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem etc. » sic olim veteres legebant, sic hodie in horariis precibus legimus, sic in omnibus Ecclesiæ Catechismis invenies. Solemus quidem extra symbolum cum veram fidem, aut Ecclesiam describimus, eam Catholicam, Apostolicam, Romanam appellare, quia (ut S.

Cyprianus scribit lib. i. epist. 3.) « ad Romanam Ecclesiam perfidia habere non potest accessum ». Et Ambrosio teste in oratione de Obitu Satyri. « Is cum Episcopis Catholicis convenit, qui cum Romana Ecclesia convenit ». Et auctore S. Gregorio Nazianzeno in Carmine de vita sua. « Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, et semper eam retinet, sicut decet Urbem, quæ toti orbi præsidet », et ut loquitur S. Hieronymus lib. iii. Apologiæ adversus Rufinum, « Romana fides Apostolica voce laudata, præstigiis hæreticorum non recipit, etiamsi Angelus aliter annunciet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munita non potest mutari ». Et Denique, ut sanctus canit Augustin. in Psalmo contra partem Donati, « Romanorum successio Episcoporum ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ ».

CAPUT VI.

Venit tandem adversarius ad argumenta, et primum testimonia Pauli, Joannis, et Danielis de Antichristo profert, quæ quidem nos libenter admittimus, sed probandum erat adversario, Romanum Pontificem per ea testimonia designari, quod nec fecit, nec in æternum faciet. Progreditur deinde ad testimonia cæterorum Patrum, et iis affirmare conatur, Romanum Pontificem a veteribus quoque pro Antichristo habitum, ea testimonia paulisper inspicimus. Primo loco S. Irenæum producit in medium, qui alicubi scribit, « Antichristus licet sit servus, volet tamen adorari ut Deus », hæc enim sunt verba sua, « Irene dice a punto così: L'Antichristo quantunque sia servo, vorrà nondimeno essere adorato come Dio. Le quali parole se bene le considererai, Italia mia, troverai ottimamente dipingere il vero ritratto del Papa, il quale si noma, non senza alto misterio dell' eterno Dio, servo de' servi ». Si dialecticam nosses, admonerem te, ne tam aperte in paralogismum incideres, siquidem ex sententia Irenæi Antichristus non se nominabit servum, sed erit servus: Pontifex noster contra, servum se ex humilitate nominat, cum pater sit omnium, etiam regum et imperatorum. Sed paralogismum tibi condono, crimen falsi condonare certe non possum, locus Irenæi habetur lib. v. cap. 25. in hæc verba: « Cum sit servus, regem se vult præconari ». Non igitur (ut tu fingis)

Irenæus dicit: « cum sit servus, quasi Deus vult adorari, sed regem se vult præconari ». Romanus autem Pontifex neque ipse se regem appellat, neque ab aliis appellari cupit. Sed quid si ex eodem Irenæi loco planum faciam non posse nisi per summam impudentiam Antichristi nomen ad Romanum Pontificem trahi? Antichristum futurum genere Judæum atque ex tribu Dan Irenæus affirmat. Eundem Hierosolymis regnaturum, et in templo quod Salomonis dicebatur sessurum scribit; tribus annis cum dimidio cum regnaverit, ab ipso Christo interficiendum docet. Denique addit idola omnia submoturum, ut ipse unus pro idolis omnibus adoretur. Porro ab eo tempore quo Lutherani Romanum Pontificem Antichristum appellare cœperunt, nullus fuit Pontifex de tribu Dan, nullus Hierosolymam vidit, nedum in templo Salomonis sedit, nullus tribus annis cum dimidio rerum potitus est, sed alii longiore, alii brevior tempore Ecclesiæ Catholice præfuerunt. Denique idola quidem summus Pontifex noster re vera non patitur, sed opinione vestra, tot idola erexit quot sunt imagines in Ecclesiis; quare si Irenæo credimus, neque Romanus Pontifex Antichristus est, neque eum Lutherani possunt, nisi secum ipsi pugnent, Antichristum nominare. Secundo loco Tertullianum, et Hieronymum in testes adducit, qui per Babylonem de Apocalypsi Romam significari voluerunt. Poterat addere testimonium longe majus Apostoli Petri, qui in ultimo capite Epistolæ primæ, eandem Romam Babylonem appellat. Sed nihil omnino ista faciunt ad rem. Nam et Petrus, et Joannes, et post eos Tertullianus et Hieronymus cum Romam per Babylonem significari volunt, de Roma loquuntur ethnica, non de Roma Christiana, de Roma inquam illa, quæ sub Nerone, ac Domitiano imperium tenebat super reges terræ, et ebria erat, ut Joannes scribit, de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. Alioqui Romam Christianam idem Tertullianus in lib. de prescriptione adversus hæreticos mirifice laudat, et S. Hieronymus in lib. ii. contra Jovinianum extremo, sic Romam Christianam alloquitur: Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti. Itaque fuit aliquando Roma magna illa meretrix, fuit Babylon mater fornicationum, sed ut idem Joannes prædixit, brevi perit, vel potius in sanctam Hierusalem et civitatem Dei, atque in arcem religionis et (ut Hieronymus loqui-

tur) in talissimum Christianæ Communionis portum commutata est.

CAPUT VII.

Tertio loco sancti Gregorii verba producit qui eum Antichristi præcursores appellat, qui Episcopi Universalis, aut summi Pontificis nomen usurpat. Sed locum nullum adducit, ubi nomen summi Pontificis S. Gregorius aversetur. Quod nomen a sancto Bernardo, sanctoque Anselmo, Romano Pontifici passim tribuitur. Quin etiam idem S. Gregorius, lib. i. Dialogorum cap. 4. prædecessorem quemdam suum disertis verbis Summum Pontificem nominat. Quamobrem et hoc inter mendacia numeretur. Porro nomen Episcopi Universalis in Joanne Constantinopolitano sanctus Gregorius duplici de causa merito reprehendit, nam et in eo sensu ab illo accipiebatur, quasi solus ipse esset Episcopus, quo sensu nomen Episcopi Universalis nulli homini convenit: et licet in alio quodam sensu appellatio illa in Romanum Pontificem optime quadret, ut etiam a Conc. Chalcedonensi S. Leoni tributum idem Gregorius refert, lib. iv. epist. 38. Tamen Joanni Constantinopolitano nulla ratione conveniebat. Itaque optimo jure S. Gregorius Antistitem illum Constantinopolitanum ingentis superbiæ notat, et præcursores Antichristi facit. Sed quid hoc ad rem, de qua nunc agimus, pertinet? Nam in primis Romanus Episcopus non se Episcopum Universalem, sed servum servorum appellat: deinde nomen Episcopi universalis, si bene accipiat, merito illi tribuitur, qui toti Ecclesiæ ab ipso Christo præpositus est. Denique non dicit Gregorius, Antichristum esse, sed Antichristi præcursores, qui se ipse Universalem Episcopum vocat: quare si se Romanus Pontifex universalem Episcopum diceret, in eo etiam sensu, quem Gregorius reprehendit, hoc ipso Antichristus non esset, quod ejus præcursor esset neque enim idem esse potest is, qui præcurrit cum eo, quem præcurrit, nisi Christum cum Joanne, dominum cum servo, regem cum præcone confundas.

CAPUT VIII.

Quarto testimonium adfert Arnulphi cujusdam Episcopi Aurelianensis, qui cum ante 600. annos in conventu quodam Remensi

multa in Romanum Pontificem maledicta congereret, inter alia etiam Antichristum, appellare ausus est. Sed ista non pluris facimus, quam tuas, quicumque es auctor famosi libelli, et tui similium criminationes. Satis enim constat eum hostem Romani Pontificis fuisse, et inimico animo quicquid stomachus suggerebat evomuisse. Sed opponam illi uni Gallo Episcopo testimonia omnium Episcoporum Galliæ, qui tempore Joannis Papæ VIII. ante annos 700. Concilium apud Trevas celebrantes excommunicationem a Roman. Pontifice in principes quosdam latam his verbis comprobarunt: Domine Sanctissime ac Reverendissime Pater Patrum, Joannes, Catholicae atque Apostolicæ Ecclesiæ, sanctæ videlicet Romanæ primæ sedis Papa. Nos filii, famuli, ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum, et Belgicarum Episcopi, his quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines ac ministri diaboli addentes in sanctam matrem nostram, ac magistram omnium Ecclesiarum commiserunt, et dolori vestro conflentes condolemus, atque judicium vestræ auctoritatis, quod privilegio B. Petri, et sedis Apostolicæ in eos, et complices eorum juxta sacros canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, ac secundum ejusdem sanctæ Romanæ sedis Pontificum prædecessorum vestrorum decreta protulistis, voto, voce, et unanimitate nostra, atque auctoritate sancti Spiritus, cujus gratia in Episcopali ordine sumus consecrati, gladio Spiritus sancti, quod est verbum Dei, eos interimentes persequimur, scilicet quos, sicut prædiximus, excommunicatis, excommunicatos tenemus: quos ab Ecclesia abjecistis, abjicimus; quos anathematizastis, anathematizatos esse judicamus, et quos regulariter satisfaciennes vestra auctoritas, et Apostolica sedes receperit, recipiemus. Hæc ex Aimoino lib. v. de gestis Francorum cap. 27. ad verbum transcribere volui, ut prudentes judicent, uni ne Episcopo Gallo, an synodo Episcoporum omnium Provinciæ ejusdem fidem habere oporteat.

CAPUT IX.

Quinto loco adversarius nesciens omnino quid loqueretur, ad sanctum Bernardum judicem provocavit, ac ut stultitiam ejus magis mirere, ipsa ejus verba ponam. « Leggi, o Italia mia, quello che scrisse San Ber-

nardo hà piu di quattro cento anni nelli libri delle sue Considerationi del Papa, de Vescovi, e del Clero, e poi non dubito punto, che tu non confessi, che di tai persone non si poteva dire, à voler dire la verità, meglio di quello che dice ». Prodeat igitur sanctus Bernardus, et temerarium istum juvenem sua auctoritate confundat. Non solum enim in libris quinque quos de Consideratione ad Eugenium scripsit, ne verbo quidem sanctus Bernardus Pontificem Romanum Antichristum esse significavit, sed etiam in iis libris et in epistolis passim ejusdem Pontificis auctoritatem mirifice prædicavit, atque defendit. Primum librum ita exorditur: « Subit animum dictare aliquid, quod te Papa beatissime Eugeni vel ædificet, vel delectet, vel consoletur; sed nescio quomodo vult, et non vult exire læta quidem, sed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt, majestas, atque amor ». Ita nimirum sanctus Bernardus Antichristum alloqueretur, ita illum ædificare, delectare, consolari cuperet, ita simul diligeret, et timeret. In secundo autem libro accurate exponens, quid sit Papa: « Age, inquit, indagemus adhuc diligentius qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quid responsurum putas ille iniquus, homo peccati, filius perditionis, aperte denique dicam Antichristus? Audi quid respondeat. Quis es? sacerdos magnus Summus Pontifex; tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cæli janitores et Gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnipotens pastor ». Porro initio libri tertii una brevissima sententiola idem Bernardus expressit quousque se jurisdictio Romani Pontificatus extendat, ne forte adversarius noster reges ac principes conetur excipere. « Orbe, inquit, exeundum ei, qui forte vellet explorare, quæ non ad tuam summi Pontificis pertineant curam ». Librum quartum idem sanctus Bernardus semper sui similis ita concludit, ut Summum Pontificem

nomet « Christianorum Ducem, pastorem plebium, ultorem scelerum, malorum metum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, Deum Pharaonis ». Hæc igitur sunt quæ sanctus Bernardus in libris de Consideratione de Pontifice Maximo scribit, quibus vel ipso adversario teste, nihil verius dici poterat. Ac ut intelligat is, qui ad Bernardum judicem provocavit, Summum Pontificem ex Bernardi sententia non tantum non esse ut Antichristum fugiendum, sed etiam ad eum proprie pertinere causas fidei judicare, et non egredi limites suos, ut iste fingit, si de fide Gallorum sententiam ferat, audiamus initium epistolæ 190. ad Innocentium Papam, de Petro Abailardo, qui intra Gallias hæreses seminabat: « Amantissimo patri, et domino Innocentio Summo Pontifici Frater B. Clarævallis vocatus Abbas, modicum id quod est. Oportet ad Vestrum referri Apostolatam pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ac præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum, hæc quippe hujus prærogativa Sedis ». Legat igitur Italia, ut adversarius cupit, legat etiam Gallia, legat Ecclesia universa Doctorem illum sanctum, sapientem, disertum et illi potius, quam stolido isti juveni, qui tamen Bernardum judicem de hac controversia fecit, de Summo Pontifice credat.

CAPUT X.

Sexto loco producit ad medium verba quædam Eberhardi Episcopi Salisburgensis, quæ apud Joannem Aventinum exstant. Sed ea neminem movere debent, cum Joannes Aventinus auctor sit parum probatæ fidei, et non sine causa illa omnia in odium Pontificum vel finxisse, vel amplificasse credatur, nihil enim tale exstat apud alios historicos, ac ne apud ipsos quidem Germanos Wymphelingium, Krantzium, Nauclerum, qui eandem historiam litteris consignarunt. Deinde, licet historia ab Aventino vere conscripta esset, illud tamen in dubium revocari non potest, quin Episcopus ille hostis acerrimus fuerit Gregorii IX. Pontificis, et contra Friderico II imperatori addictissimus. Cum autem ob discordiam illam inter